

DE HORATIO IUDICE CIVITATIS ROMANAE ET BARBARORUM VITAE LAUDATORE

In commentatione „Horatius et civitas Romana”¹ multis verbis explicavi quomodo ii, qui ad rem augendam divitiasque sibi comparandas intenti essent, a poeta illustrissimo describerentur.

Ibi quoque dictum est auctorem homines eius generis in universum ut avaros depinxisse.

In praesentia nisa eis inventis, quae interim publicavi, in animo habeo tantum carmen libri tertii vicesimum quartum in conspectum dare. Propositum non ab re esse videtur, quod hodie etiam atque etiam de isdem rebus disputamus, de quibus Horatius ipse cogitabat.

Itaque in opere, quod supra demonstravimus, declarat vates Augusti temporis cives amore habendi captos a vita modesta plurimum abhoruisse atque ob hanc inclinationem animi homines corruptis moribus factos esse. Protinus suadet civitati, ut consilium suum ad evitandum malum pertinens consequatur. Hic (in carmine III, 24) item nonnullas renuntiationes de vita Getarum communi tradit.

Alio loco conata sum de earum pondere disputare atque illinc medullam distinguere, quippe quae mea quidem sententia, quamquam exprimuntur poeticis verbis, de historia harum gentium maximi momenti essent.² Nunc si denuo barbarorum mentionem faciemus, hoc ideo fiet, ut in contextu operis illustretur quantum auctoris interfuerit exemplo eorum usus docere homines solum sine avaritia ac sine vi pecuniae bene recteque vivere posse.

Initium carminis vocis sonum totius operis praestat.³ Nam in medium species Orci prolata est, quae divitem persequitur (v. 1—8):

¹ R. GANDEVA, Horace et la société romaine. „Annuaire de l'Université de Sofia. Faculté des lettres, 67, 1, 1973, pp. 1—52.

² R. GANDEVA, Ovide et la population de la Dobroudja antique. „Annuaire de l'Université de Sofia. Faculté des lettres, 62, 1, p. 17, n. 38 et 39; p. 63 sqq.

³ VIKTOR PÖSCHL, Horazische Lyrik, Heidelberg 1970 (Bücherei Winter), p. 59, notationem subtilem horum versuum praebuit.

Intactis opulentior
 thesaurus Arabum et divitis Indiae
 caementis licet occupes
 terrenum omne tuis et mare publicum
 si figit adamantinos
 summis verticibus dira Necessitas
 clavos, non animum metu,
 non mortis laqueis expedit caput.

Extemplo post hoc exordium poeta narrationem illam de Scythis Getisque incipit eo consilio, ut consuetudinem barbaram vitae generi civium id temporis e medio sumpto opponat. Sed priusquam descriptio morum Romanorum succedat, invenies mentes notionesque vatis Augusti aevi, ut sequuntur.

Ante oculos Horatii cura status civitatis affecti, quippe quae civica rabie licentiaque comprehendatur, imagines cogitatione fictae, ad futuram condicionem societatis pertinentes omnibus divitiis e manibus civium remotis, versantur. His connexa est adhortatio quaedam, ut populos ad pristinam virtutem revertatur, quod fieri poterit, si pueri ingenui asperius educabuntur⁴.

Proposuit auctoris sine ulla dubitatione concitatione eius animi tenetur atque contentione hominis patriae amantis moderatur.⁵

Itaque vitae consuetudo Getarum scriptori exemplari est, quod eius sententiam ad rem publicam renovandam provocat.

Tres accentus logici tribus rhetoricis interrogationibus ponuntur.

Primo, poeta rogat utrum inveniatur, qui indomitam licentiam refrenare audeat, si quis servator urbis appellari velit; deinde quaerit quid tristes quaerimoniae prosint, si non supplicio culpa recidatur; tertio, percontatur quid leges quoque proficiant, si desint boni mores.

Conspicuum est auctorem tribus continuationibus conditionalibus fundamentum ad causam corruptionis morum exponendam praeparavisse.

Causa ipsa actionibus mercatorum ac nautarum voce artis ita adumbrata est, ut facile scriptoris longiora cogitata perspici possint. Nam ille sentit originem mali a cupiditate

⁴ Hoc loco Horatius adiectivo „ingenuo” cum significato „generosi” usus est: cf. Serm. I, 6, 21. Nostra sententia ille omnino de educatione generosi pueri cogitabat. Non aliter etiam sentit M. BRÓZEK, *Horacy w kręgu polityki Oktawiana Augusta*, Meander, 3 et 6 (1957), 97—111; 173—184.

⁵ R. GANDEVA, *Au sujet de la caractéristique sociale et politique du satirique Horace*. „Annuaire de l’Université de Sofia. Faculté des Lettres 65, 1, 1971, 327—378, accuratius p. 333, n. 19.

pecuniae amplificandae profectam esse.⁶ Mercatores enim omnes partes terrarum pererrant, ut divitias sibi parent, nautae item aequora horrida vincunt existimantes pauperiem magnum opprobrium ideoque parati quidvis et facere et pati, dummodo locupletes fiant.

Sic vivis imaginibus licentia indomita, id est avaritia, designatur.

Nunc expectandum est, si quid de re publica renovanda declaretur, quoniam aliter ea inepta videntur, quae Getis multis verbis in prima parte carminis destinata sunt. Hoc quidem non frustra sperabitur. Prout res postulat, statim post locum ad licentiam indomitam pertinentem, a versu quadragésimo quinto usque ad versum quinquagesimum quartum, Horatius de salute civitatis cogitans propositum suum explicandum curat. Is fingit pompam euntium in Capitolium, qui in aedem Jovis copiam auri ac gemmarum collaturi sunt, ut has illecebras procul a suis manibus ponant.⁷ Interim venit ei in mentem efficacius consilium. Praestabit, ait poeta, materiam summi mali elementaque pravi cupidinis in mare mitti.

Tertiam quoque condicionem addit. Cogitans de aberranti a vetere disciplina iuventute patribus commendat, ut nimis teneras mentes natorum asperioribus studiis formandas curent, si quos scelerum bene paeniteat.

En versus, qui totum propositum continent (v. 45—54):

Vel nos in Capitolium
 quo clamor vocat et turba faventium,
 vel nos in mare proximum
 gemmas et lapides aurum et inutile,
 summi materiem mali,
 mittamus, scelerum si bene paenitet;
 eradenda cupidinis
 pravi sunt elementa, et tenerae nimis
 mentes asperioribus
 formandae studiis . . .

Post ea dicta imaginibus artis plenis occupationes puerorum ac patrum exprimuntur, ut satis aperiri possit, quo pacto res in tempus praesens se habeat. Ingenui pueri⁸ nesciunt in equis haerere timentque venari — opus sollemne viris Romanis

⁶ Cf. Commentarium in Horatium, quem composuerunt A. KIESSLING — R. HEINZE, Oden und Epoden, Berlin 1917, p. 366.

⁷ IBIDEM.

⁸ Cf. notam 4.

atque exercitatio similis bellicae disciplinae⁹ — immo vero non indocti trochi vel aleae vetitae legibus sunt.¹⁰ At patres eodem tempore heredibus indignis nummos accumulare contendunt, divitias ab auctore improbas¹¹ appellatas, quippe quae plurimum consortibus sociis hospitibusque deceptis crescant.¹² Sed proferamus in medium ipsos versus (54—64):

.... nescit equo rudis
 haerere ingenuus puer
 venarique timet, ludere doctior
 seu Graeco iubeas trocho
 seu malis vetita legibus alea,
 cum periura patris fides
 consortem socium fallat et hospites
 indignoque pecuniam
 heredi properet — scilicet improbae
 crescunt divitiae, tamen
 curtae nescio quid semper abest rei.

Quorsum haec spectat vox: „Nescio quid curtae semper abest rei?” Mihi quidem videtur ad initium carminis spectare nec ab argumento carminis declinare. Sententia enim peculiaris Horatiana est. Poeta vult Romanos sibi assentiri aviditatem pecuniae numquam satisfieri posse. Is facit homines eo morbo affectos malos cives, virtutem non in summis bonis ponentes, quibus nulla conscientia publica, nulla fides est.

Altera ex parte putat Horatius eos sollicitatos esse metu mortis et ob eam causam numquam tranquillitatem animi adipisci.

Ceterum structura operis lectorem ad illud adducit, quod singuli eius loci quadam ratione habita eo modo constituti sunt, ut facile convenientiam inter eos exstare animo concipi possit. Exempli gratia satis erit cohaerentiam inter narrationem de barbaris et picturam vitam Romanam id temporis adumbrantem ostendere. Non possumus dicere apud auctorem opinionem plus quam rem ipsam valere. Nam cum consuetudinem Getarum rebus Romanis opponeret, censebat se non locis communibus, sed exemplo vero et ad persuadendum

⁹ Cf. Epist. I 18, 49 et Carm. I 1, 28; item CICERO, De natura deorum, II 161: ut exerceamur in venando ad similitudinem bellicae disciplinae.

¹⁰ Cf. Ov. Trist. II 472: hoc (id est ludere alea) est ad nostros non leve crimen avos.

¹¹ Cf. R. HEINZE, op. cit., p. 369. qui sensum huius adiectivi in contextu minuit.

¹² Exstat Horatium voce „hospites” eos significare, quibuscum patri periurae fidei commercia erant.

accomodato usum esse, ut civibus indicaret, quantum efficax atque utile ad bonos mores servandos esset sine pecunia vivi.

Contra fidem periuram patrum Romanorum, qui consortes socios fallunt, ut heredibus plus nummorum attribuant, apud Getas immetata iugera exstant, quae liberas fruges et Cererem ferunt, unde alius usus aliaque ratio inter eos intercedit:

defunctumque laboribus
aequali recreat sorte vicarius.
(v. 15—16)

Haec oppositio longius procedit. Mercatores enim et callidi nautae, qui in numero civium sunt, ad extremas terras currunt et horrida maria navigant quaesituri pecuniam, cum gentes, de quibus narratur, placide in finibus suis vivant, quia parvo contentae sunt.

nec cultura placet longior annua (v. 14)

Romae opprobrium est eo frui, quod satis est, Quae cum ita sint, pauci invenientur, qui virtutis arduam viam ascendant, dum doti mulieri Geticae magna parentium virtus sit. (v. 20—21).

Ex hactenus dictis existit, ut nullo pacto possimus asseverari Ricardo Heinze, qui omnino novas vias arte Horatii acuratus cognita aperuit, poetam in carmine vicesimo quarto libri tertii liberius altiusque procedentem sibi quandam abundantiam luxuriamque permisisse atque idcirco ei in opere componendo non successisse.¹³

Verum enim vero ea, quae iam exposuimus, sinunt scientia comprehendere vati Augusti temporis voluntatem adipiscendae congruentiae operis partium inesse.¹⁴ At si Ricardi Heinze sententiam probamus carmen non longe post pugnam Actiacam compositum esse, id non significat nobis quoque docti ipsius mentem de arte pingendi in hoc opere placere posse.¹⁵

Itaque, cum iam finem orationis facturae simus, paucis verbis cogitationes Horatii complecti debemus, quae ad rem

¹³ Cf. R. HEINZE, op. cit., p. 362.

¹⁴ VIKTOR PÖSCHL, op. cit., p. 35 rationem carminis libri primi habens recte dixit: „Als ob frühe Gedichte notwendig mangelhaft sein müssen und als ob der Dichter, der den Rat gab, neun Jahre an einem Gedicht zu arbeiten, nicht imstande gewesen wäre, solche Mängel zu beseitigen?“

¹⁵ Cf. R. HEINZE, op. cit., p. 362.

publicam renovandam et ad societatem Romanam sanandam pertinent. Eae quidem nostra sententia hoc loco plurimum valent.

Auctori persuasum est duabus rebus civibus opus esse: primum, ne ita se pecunia commoveant, ut illam maximum bonum vitae existiment ac virtuti fideique praeferrant; deinde, ut divitias de medio tollant et, si salutem rei publicae in tempus futurum servare velint, disciplinam maiorum pueris inducant. Nisus exemplo a vita Getarum sumpto, quod ei concessit, ut rem veram phantasia poetica in unum misceret, negat Horatius ea, quae proposuerit, improbabilia esse.

Iam diximus vatem Augusti aetatis rem veram cogitatione sua ac inventione implicavisse. Nos tamen longe aliter nuntia de Getis animo comprehendimus ac nonnulli docti nostri temporis, qui ea nullo modo veritate fulta, sed fictionem speciemque perfectissimam esse putant.¹⁶

Nobis autem haec saltem in summa rerum non incredibilia videntur respectu condicionis, quod poeta tam familiaris erat Maecenati in re publica versanti aliisque militia in Thracia Moesiaque fungentibus illis barbaris armis Romanis gravi bello devinctis, ut verisimile esset eum quaedam indicia de ratione vitae gentium, quibuscum Romani pugnaverant, accepisse. Quod ad quaestiones de vi ac consecutiones pecuniae attinet, Horatii opiniones habent comparisonem. Hae quidem non multum differunt ab notionibus aliorum scriptorum antiquitatis velut exempli gratia Salustii.

Quod tandem ad picturam societatis civium futurae attinet, cui sine pecunia vivendum erat, illam spem inanem appellare debemus. Quid hoc sibi vult? Explicemus sententiam! Consilium ipsum, quod vates ad rem publicam renovandam humanitatemque inter cives fovendam adumbravit, a civibus exigebat, ut pecunia remota educationeque puerorum ad morem maiorum reducta exemplo Getarum in modestum cultum, id est in primitivam rationem vitae revertantur. Verum enim vero istam conceptionem effici illis temporibus non licebat, quoniam illa progressui historiae rerum non conveniebat.

Proinde eam, quamvis somnium hominis nobilis patriaeque valde amantis indicaret, tamen spem inanem nominavimus, vel ut hodie consuevimus dicere — utopiam.

Bulgaria.

Ruska Gandevo.

¹⁶ Illa quaestio multis verbis percepta est in libro nostro „Ovide et la population de la Dobroudja antique”, pp. 17; 63; vide etiam AL. FOL, Demographic and social structure of ancient Thrace (I millenium B. C.), Naouka: Iskoustvo Press, Sofia, 1970, p. 186 sqq.; T. D. ZLATKOVSKAJA, in: „Sovetskaja Etnografia” 5 (1970), p. 53.